Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch-Krone

in dem Schuljahre 1876—1877,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 31. Juli

und

zu den Schlußfeierlichkeiten am 1. August

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Professor A. Lowiński,
Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

NEUE FOLGE
Nro. XXII.

Inhalt: 1) De emendando primo episodio quod est in Aeschyli Septem adversus Thebas. Vom Director.
2) Schulnachrichten. Von demselben.

Deutsch-Krone,
Druck von F. Garms.
1877.

1877. Progr. Nro. 7.

De emendando primo episodio quod est in Aeschyli Septem adversus Thebas.

Prooemium.

Superstitum Aeschyli tragoediarum emendatio quot et quantas dubitationes cautionesque etiamnunc habeat, nuper inter criticos accurate et subtiliter disceptatum est. etenim quum omnino difficile sit talem poetam qualem Aeschylum novimus cum aliqua probabilitatis specie emendare illiusque propriam in dicendo gravitatem sublimitatem et magnificentiam (σεμνότητα vel μεγαλοπρέπειαν vulgo appellabant Graeci*) nimirum temporis iniquitate obscuratam et obliteratam denuo instaurare atque ipsum textum Aeschyleum ingravescente per varias tot saeculorum vicissitudines corruptela magis magisque depravatum et multiplici vitiorum genere inquinatum pristino nitori ac splendori suo restituere, tum eam quam modo dixi emendandi Aeschyli difficultatem**) haud mediocriter augeri consentaneum est incerta ac dubia librorum ms. reliquaeque supellectilis criticae conditione.

Ac primum quidem de praestantia codicis Medicei quo tamquam fundamento in crisi Aeschylea longum per tempus uti consuevimus, valde dubitari hodie constat a criticis harum rerum peritis veluti a ‚principe philologorum' Friderico Ritschelio qui quum accuratissimas collationes virorum doctorum aliquotiens Florentiae factas ad editam a se Septem adversus Thebas fabulam Aeschyleam***) summa cura et rara inter mortales diligentia ac fide (qua clarissimus

---

*) Cf. Aristophanes Ran. 1004 sq. *πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον.* ab eodem comico in Ran. 837 et Nub. 1367 carpitur Aeschylus tamquam *στόμφαξ, κομποφακελοῤῥήμων, αὐθαδόστομος, ξυμβαλεῖν οὐ ῥάδιος.* cf. etiam Dionys. Halic. de vet. script. cens. II, 10 p. 422 R. *ὁ δ' οὖν Αἰσχύλος πρῶτος καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐχόμενος καὶ ἠθῶν καὶ παθῶν τὸ πρέπον εἰδὼς καὶ τῇ τροπικῇ καὶ τῇ κυρίᾳ λέξει διαφερόντως κεκοσμημένος· πολλαχοῦ δὲ καὶ αὐτὸς δημιουργὸς καὶ ποιητὴς ἰδίων ὀνομάτων καὶ πραγμάτων.* denique idem scriptor (ne plura veterum testimonia cumulemus) *σεμνότητα* et *ἀρχαϊσμόν* Aeschyli commemorat de admir. vi dic. Dem. p. 1073 R. et de comp. verb. c. XXII.

**) De peculiari quadam obscuritate Aeschyli deque interpretandi et emendandi difficultate inde orta uberius expositum a critico Anglo Paleio in editione Aeschyli quae a. 1870 Londini prodiit: The tragedies of Aeschylus. re—edited with an english commentary. by F. A. Paley, M. A. third edition. ibi multa apposite dicta quae huc spectant invenies in praefatione p. XI sqq. alii vero critici multorum sane locorum obscuritatem et difficultatem a depravata potius librorum ms. scriptura repetere quam eius rei culpam in ipsum poetam conferre malunt.

***) Aeschyli Septem adversus Thebas ex recensione Godofredi Hermanni cum scripturae discrepantia scholiisque codicis Medicei accuratius conlati in usum scholarum suarum edidit Fridericus Ritschelius. praecedunt de Aeschyli vita et poesi testimonia veterum composita a Friderico Schoell. Lipsiae 1875. [prior editio huius fabulae ab eodem Ritschelio parata prodiit Elberfeldae a. 1853].

ille Germaniae philologae praeceptor dum in vivis erat praeccellebat) examinasset et in usum suum adhibuisset, hunc codicem qui vulgo saeculi X vel XI esse perhibetur, et neglegenter scriptum et quattuor manus distinctu difficiles passum esse plane et plene nos edocuit. sic enim ipse ait in praef. edit. suae p. VIII: ‚atque omnium primum multum fallatur, si qui similem scripturae nitorem exspectet atque quo saeculi X vel XI graeci codices plurimi placere solent: a quorum ille munditia concinnitate atque perspicuitate longius quam credas remotus est. quippe sat properanti calamo usus librarius neque in figurandis literis h. e. aequabiliter et distincte pingendis cum cura et diligentia versatus est nec in accentibus spiritibusque vel inter se certo planeque discernendis vel suis vocalibus, non contiguis literis superponendis nec in literis syllabis vocibus recte vel sociandis vel dissociandis: qua multiplici neglegentiae varietate fit ut et perincommoda et saepe valde ambigua lectio evadat.' tum idem l. c. p. IX hoc modo pergit: ‚verum multo etiam plus incommodi Mediceum codicem tractanti e manuum diversitate oritur emendatricem operam poetae verbis admoventium. elaborasse autem in eo negotio quattuor manus exploratum est, sed eas saepe numero tam distinctu difficiles, inde ut plurimum dubitationis nascatur. et prima quidem (pr. vel ant.) sive per oscitantiam librarii sive solo calami lapsu tam crebro peccavit, longe plurima ut aut radendo delenda aut superscribendo aliisve modis corrigenda fuerint. id etsi aliquotiens eadem manus sive inter scribendum sive inter relegendum facere ipsa potuit, tamen potiore ex parte secunda (sec.) praestitit, denuo inspecto ut videtur archetypo exemplo vitia multa recte tollens. quam manum quum eandem esse qua scholia scripta sint, plerique affirmant, tamen hoc ipsum num ita se habeat ab aliis valde dubitatur, eidem potius scholia manui tribuentibus quae poetae verba scripsit. ac certum est saltem falsissimo argumento uti qui haec esse literis minusculis, maiusculis autem scholia scripta narrant: quando scholiorum quoque literaturam minusculam esse, tantum aliquanto saepius quam in ipsa fabula inmixtis maiusculis elementis, manifesto luculenteque ad Choephoros pertinens tabula lithographa Dindorfiana docet. verum etiam tertia (tert.) manus emendatrix supervenit eaque non indocti grammatici qui διορθωτοῦ partes agens cum suomet iudicio usus, tum fortasse etiam antiquiore libro ms. adhibito nec indiligenter nec improbabiliter haud pauca expedivit. postremo non desunt quartae manus (rec.) vestigia e saeculo XIV vel XV repetenda quae Byzantinum magistellum produnt aliquando vel temere interpolantem vel imperite mutantem.' omninoque summo illi critico codex Mediceus nequaquam ita comparatus esse videbatur ut pro ipso fonte ceterorum qui hodie exstant librorum ms. omnium haberi possit. en ipsa Ritschelii verba l. c. p. VI sic probabiliter ratiocinantis: ‚neque enim hodie dubitari posse videtur quin ex uno aliquo archetypo antiquiore cum Mediceus tum etiam alter quidam eiusdem vel supparis aetatis liber transscriptus sit nunc deperditus, ut illi persimilis, ita non prorsus par, ad hunc autem alterum recentiorum multitudo apographorum (loquor autem de tribus fabulis prioribus) fere redeat.'

Jam vero prorsus contrariam suam de Mediceo codice opinionem identidem frustra probare studuit Guilelmus Dindorfius qui codicem illum pro ipso archetypo h. e. pro uno et communi fonte omnium apographorum Aeschyleorum habet*) idque adeo sibi persuasit ut ne invictis quidem aliorum criticorum**) argumentis de ea sententia se deduci patiatur.

---

*) Cf. comment. in Leutschii Philologo edit. vol. 18, 20 et 21, tum praef. editionis Lipsiensis quintae p. VI, denique praef. Lexici Aeschylei Lipsiae nuper editi (1876) et append. eiusdem Lexici p. 405 sqq., ubi seorsum a Dindorfio agitur ‚de Aeschyli codice Mediceo eiusque apographis.'

**) Veluti Keckii qui cod. Venet. Flor. et Farn. nequaquam ex Mediceo codice tamquam ex fonte suo fluxisse luculentis aliquot exemplis demonstravit Agamemnonis sui p. 198 sqq.

Itaque quum de ipsius codicis Medicei praestantia deque mutua quasi consanguinitatis ratione reliquorum codicum parum inter criticos constet, nunc quidem tutissimum nobis videtur ad crisin Aeschyleam omnes quotquot exstant codices pari modo h. e. pari cautione et circumspectione adhibere et pro re nata et cuiusque loci indole proprio iudicio et arbitratu ex eis optimas quasque scripturas ad instaurandam Aeschyli manum tamquam per saturam eligere: quem quidem liberum et promiscuum ut ita dicam eligendi modum etsi fatemur valde difficilem et saepe fallacem esse ideoque criticis vulgo suspectum videri praesertim in tanta codicum Aeschyleorum qui ad tres priores fabulas Prometheum Septem et Persas spectant multitudine*), tamen hac sola via nisi fallimur propter singulares illas quas ante diximus codicum rationes de emendando Aeschylo haud male mereri posse nobis videmur, id quod facile perspectum iri confido vel ex hoc primo Septem adversus Thebas fabulae Aeschyleae episodio quod pro virili parte emendatum per hanc scribendi opportunitatem speciminis loco propondituri sumus.

Sed priusquam ad propositum nostrum accedamus, ante etiam de reliquis emendationis Aeschyleae subsidiis breviter exponendum.

Et alterum quidem emendationis Aeschyleae subsidium praebere scholia Medicea primum a G. Dindorfio accurate edita et a Byzantinorum scholiorum farragine separata neminem fugit. quae quidem scholia qui usque ad Alexandrinorum grammaticorum aetatem referunt, nimirum Aristophanis Byzantii ὑπομνήματα et Aristarchi προβλήματα vel certe λέξεις τραγικάς Didymi Chalcenteri qui clarissimus doctissimusque Aristarchi discipulus fuit, in eis recondita esse arbitrantur omninoque duas ad nos pervenisse statuunt Aeschyli recensiones ‚alteram quae plene exstet codicis Medicei, alteram vetustiorem multoque praestantiorem ex qua nihil nobis supersit nisi ea quae sint a scholiastis et Hesychio aliisque lexicorum scriptoribus excerpta.' hoc si reapse ita se haberet, profecto esset quod impense laetaremur atque ex animo gratularemur et optimo poetae et nobis ipsis, quum commodissime scilicet nullis sciscitandi ratiocinandi refutandi coniectandi divinandi vel etiam hariolandi ut fit ambagibus ac molestiis praepediti pervetustas quasdam et vere genuinas scripturas Aeschyleas ex scholiis lexicisque illis tamquam ex opulentissimo et pretiosissimo thesauro plena manu haurire possemus. verum enimvero non desunt critici qui de illis thesauris aliquanto sane modestius et cautius sentiant veluti Ritschelius qui in scholiis codicis Medicei tenues tantum eruditionis Alexandrinae reliquias agnoscit plurimaque in eis restare quae emendatione egeant, haud ambigue contendit p. XIV sq. nec profecto minus cautum et consideratum de eisdem scholiis iudicium est Weilii qui in praef. ad Aeschyli Choephoros p. XV haec verissime dicit: ‚et hoc quidem certum est e diversis fontibus scholia nostra derivata esse: editoris autem minus interesse videtur ut sciat ad quem quodque auctorem referendum sit, quod hodie fieri posse non puto' quam ut diiudicet quid bonum sit quid deterius. itaque primum quaerendum est quam scripturam scholii auctor respiciat, quod non semper facile decernitur, quum pauca scholia lemmata praefixa habeant, quaedam mutila ad nos pervenerint, quaedam corrupta, quaedam interpretationem praebeant vagam et neglegentiorem. deinde si compertum erit scholiasten habuisse scripturam a Medicea diversam, illam fere semper pro antiquiore et emendatiore habendam esse censeo ut aut recipienda sit aut ex ea emendationis ratio petenda. sin cum Mediceo faciunt scholia, hoc consensu codicis scripturam firmari apertum est, veram esse non efficitur. saepe enim scholiastes

*) Mauricius Hauptius plus XXX codices Aeschyleos trium illarum fabularum quas multo saepius quam reliquas et lectitatas et descriptas esse constat, singillatim ac nominatim enumeravit in praef. edit. Hermannianae p. V sqq. atque his codicibus omnibus suum cuique pretium certe tamdiu erit quamdiu vetustissimus ille codex archetypus — quidni Alexandrinum vel Byzantinum nuncupemus cum Keckio? — in monte Atho vel alicubi terrarum delitescet.

misere se torquet ut lectiones manifesto corruptas sensuque carentes qualicumque modo interpretetur. quibus in locis meliora habuisse grammaticos Alexandrinos e quorum copiis scholiorum pars deprompta est, neque affirmaverim neque negaverim: non omnia huius generis ad eos referenda esse inde perspicitur quod passim casu factum est ut una cum prava interpretatione optimae et ad scripturam integram spectantis adnotationis fragmentum servaretur. qualis cum sit scholiorum conditio, semper iudicio, saepe divinatione opus est ut ad emendationem recte adhibeantur: quin nonnumquam promptius est e loco ipso efficere quid olim scriptum fuerit scholiisque uti non ad inveniendam sed ad confirmandam coniecturam.' quodsi hoc in Medicea scholia vel potius haec mutila et lacera scholiorum fragmenta per varios glossatores epitomatores vel etiam compilatores utcumque concinnata iure ac merito cadit summaque cautio in eis usurpandis vel eam ob causam adhibenda est quod admodum pauca scholia lemmata praefixa habent, quid tandem quaeso dicamus de infelici conatu eorum qui ex inutili ac futili Byzantinorum scholiorum farragine ipsum genuinum et germanissimum Aeschylum instaurari posse temere sibi persuaserunt nempe pro magnificentia et granditate Aeschylea insulsam et vix ferendam ieiunitatem Thomae Magistri vel ‚foedam interpolationem' Triclinii nobis obtrudere non erubescentes? quid inquam de tali noviciorum quorundam interpretum incepto statuamus? ne multa — piaculum commiserunt.

Denique pro tertio emendationis Aeschyleae subsidio lex illa compositionis antitheticae nuper a Weilio inventa haud immerito haberi solet. qua quidem lege omnem sermonem Aeschyleum ad similitudinem canticorum teneri qui primus sagacissime perspexit Weilius, eum bene meruisse non solum de recte aestimanda Aeschyli arte in componendis sermonibus (ut hoc nomine complectar quaecumque non cantabantur), verum etiam de universa crisi Aeschylea ecquis est qui neget? quid enim? nonne insigni hoc invento i. e. perspecta numerorum ratione antithetica novum arti criticae lumen accendi, ut ipsius Weilii verbis utar, manifestum est? ‚profecto multi sunt (ut idem ait l. c. p. XIII) apud Aeschylum versus quos viri docti in interpolationis suspitionem vocarunt, alios excidisse, alios traiectos esse statuerunt neque tamen quae sibi ipsi persuaserunt, etiam aliis probarunt, sed paucis exceptis quae satis certa videbantur, plerumque in diversa editores abierunt. nunc demum parato novo instrumento diiudicari potest quae in hoc genere bonae, quae inconsultae coniecturae prolatae sint, tum vero nova indagare licet quae criticorum sagacitatem fugerunt.' vides haec ad, superiorem' illam quam vocant artis criticae partem quae interpolatione transpositione lacunis continetur, potissimum spectare. nec tamen minus valere praeclarum ἕρμαιον illud negari nequit etiam ad singula Aeschyli verba indaganda et eruenda praesertim in diverbiis sive sermonibus alternis locisque stichomythicis. etenim sermonum alternorum eam esse compositionem exemplis non paucis demonstravit Weilius ut dictorum argumentorumque vi atque adeo ipsa elocutione ad carminis amoebaei similitudinem prope accedant. quin etiam saepe numero responsio tam accurata est ut similiter atque in strophis et antistrophis canticorum vox voci sonus sono opponatur. unde fit ut eiusmodi locis sola compositionis antitheticae ope genuinam scripturam tamquam ex vetustissimo archetypo h. e. ex ipso Aeschylo indagare nobis liceat. cuius rei aliquot luculenta exempla critica huius ipsius episodii tractatio suppeditabit. omninoque periodos antitheticas sicuti strophas et antistrophas lyricas rerum et verborum vel similitudine vel oppositione haud raro conspicuas esse videmus. ‚etenim Aeschylus (ut idem Weilius dicit l. c. p. X sq.) id habebat cum natura ingenitum tum arte insuetum ut quocumque animi aciem intenderet, partes dispiceret vel similes vel oppositas, quidquid animo informaret, narrationes descriptiones sermones actus bifariam divideret. eratque hoc non Aeschylo proprium sed antiquiori Graecorum arti commune neque aliter Aeschyli aequalis Polygnotus magnas illas quas Delphis pinxit tabulas adornabat eiusdemque aetatis sculptores Aeginetici statuas singulas excudebant, plures in templorum

fastigiis disponebant. hinc quasi a fonte et principio repetenda est symmetrica illa quae per Aeschyli versus obtinet ratio, quae non extrinsecus addita sed cum poetae ingenio et disciplina arctissime coniuncta est. itaque systematum et periodorum divisiones quas in hac editione feci literisque maiusculis rectis et leviter inclinatis notavi, ne pro re leviuscula molestove invento habeas. immo his divisionibus perspectis scenarum dispositio sermonum relatio orationum articuli poetae in rebus et cogitatis adornandis consilia perspiciuntur: simul et de actorum in scena gestu pronuntiatione silentiis coniecturas facere licet probabiles.' atque haec omnia quam'umvis docte ingeniose egregie et vere a Weilio disputata sint, tamen quis nescit quot et quantas dubitationes haec ipsa compositionis antitheticae investigatio habeat et quam acres contentiones et controversias de recte constituendis probabiliterque adornandis singulorum sermonum systematis periodis articulisve inter ipsum Weilium*) et Keckium**) olim excitaverit? et Keckius quidem prudenter tum monuisse mihi videtur cavendum esse, ne vivam vigentemque Aeschyli poesin nimis exiliter ad calculos vocando misere dilaceremus artisque Aeschyleae magnificentiam in meri artificii ieiunitatem vertamus. etenim (ut hic repetam quod alibi iam dixi***) sapienter poeta instituit quod longiora systemata quo facilius symmetrica eorum compositio percipi auribus posset, in aequabiles periodos divisit: has tamen rursus in congruos et ad amussim exaequatos articulos traiectione versuum aut alio quodam artificio ubique dividere nescio an inutilis et irritus labor fuerit quem Weilius frustra suscepit vel minimas periodorum particulas artificiosis formulis ac numeris suis quasi quibusdam compagibus coagmentans eoque ipse insigne exemplum praebuit quam proclive sit etiam abuti tam praeclaro invento.

Quae quum ita sint, nemo opinor erit quin quod statim initio diximus, libenter nobis concedat crisin Aeschyleam singulares quasdam dubitationes cautionesque suas habere, si quidem tria illa quae modo pertractavimus artis criticae subsidia parum certo ac tuto fundamento uti a nobis demonstratum est. quid igitur quaeso in tantis angustiis tantaque supellectilis criticae tenuitate et prope dixerim desperatione nobis faciendum? aut fallimur aut nihil certe reliquum quam ut in persanando Aeschylo ipsi quid vires possint, coniciendo et divinando, quantulum id cumque est, nescio qua animi pervicacia experiamur atque adeo periclitemur episodiumque nostrum non uno nomine memorabile ad artem et elegantiam si forte Aeschyleam impigro labore revocare studeamus haud sane immemores eorum quae de factitanda crisi Aeschylea praeclare monuit Keckius****) — nisi quod tot locis depravatis ac desperatis parem vel similem μαντικήν et εὐστοχίαν qualem hic criticus in Agamemnone suo praestitit, nemo a nobis exspectet. —

---

*) Cf. annales philol. Fleckeiseni vol. LXXIX p. 721 sqq., tum vol. LXXXIII p. 377 sqq. cf. etiam commentatio eiusdem Weilii: la composition symétrique du dialogue dans les tragédies d' Eschyle. Paris. 1860.

**) Cf. annales philol. eiusdem Fleckeiseni vol. LXXXI p. 809 sqq. et vol. LXXXVII p. 153 sqq.

***) Per opportunitatem scholasticam gymnasii Conicensis in progr. a. 1862.

****) Aeschylos Agamemnon. Griechisch und Deutsch mit Einleitung, einer Abhandlung zur Aeschylischen Kritik und Commentar. Von Karl Heinrich Keck. Leipzig 1863. p. 207. Die vorzüglichste Hülfe zur Heilung der Schäden ist aus dem Dichter selbst zu gewinnen (demnächst aus Pindar, Sophokles und dem jenigen unter den neueren, der ihm der congenialste ist, Shakespeare). Auch hier gilt es vor allem sich in des Aeschylos Ideengang zu vertiefen und aus der Seele des ganzen Kunstwerkes heraus den einzelnen Schaden reproductiv zu bessern: berücksichtigt man dabei sorgfältig seinen Sprachschatz, seine eigentümlichen Redewendungen (wie er z. B. den exclamativen Infinitiv liebt, vgl. zu v. 427, 653, 1222), seine religiösen Anschauungen (z. B. die Identificierung von Helios und Apollon v. 1282), sein Streben nach völligem Ebenmass der Interpunctionspausen in Strophe und Gegenstrophe; so wird es nicht selten gelingen den Schaden so zu heilen, dass die Wiederherstellung des ursprünglichen Textes jedem geschmackvollen Kenner sogleich einleuchtet.

Cap. I.

De recensione Godofredi Hermanni.

Ac primo quidem textum huius episodii exhibebimus secundum exemplum Hermanni ‚nec corruptorum nimis tenax nec liberius evagans mutando,' ut ait Ritschelius, non satis commoda nostro quidem consilio quantavis per se virtute nitentia Dindorfii Weiliique exempla cum eodem Ritschelio propterea habentes quod in ipsis verbis poetae ab antiquitatis memoria longiore intervallo distant. textus vero Hermannianus hic est quem infra posui:

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

ὑμᾶς ἐρωτῶ, θρέμματ' οὐκ ἀνασχετά,
ἦ ταῦτ' ἄριστα καὶ πόλει σωτήρια,
στρατῷ τε θάρσος τῷδε πυργηρουμένῳ,
βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν
αὔειν, λακάζειν, σωφρόνων μισήματα;
μήτ' ἐν κακοῖσι μήτ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ
ξύνοικος εἴην τῳ γυναικείῳ φυτῷ.
κρατοῦσα μὲν γὰρ οὐχ ὁμιλητὸν θράσος,
δείσασα δ' οἴκῳ καὶ πόλει πλέον κακόν.
καὶ νῦν πολίταις τάσδε διαδρόμους φυγὰς
θεῖσαι διερροθήσατ' ἄψυχον κάκην·
τὰ τῶν θύραθεν δ' ὡς ἄριστ' ὀφέλλετε,
αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἔνδοθεν πορθούμεθα.
τοιαῦτά τἂν γυναιξὶ συνναίων ἔχοις.
κεἰ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται,
ἀνήρ, γυνή τε, χὤ τι τῶν μεταίχμιον,
ψῆφος κατ' αὐτῶν ὀλεθρία βουλεύσεται,
λευστῆρα δήμου δ' οὔ τι μὴ φύγῃ μόρον.
μέλει γὰρ ἀνδρί, μὴ γυνὴ βουλευέτω,
τἄξωθεν· ἔνδον δ' οὖσα μὴ βλάβην τίθει.
ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας, ἢ κωφῇ λέγω;

ΧΟΡΟΣ.

ὦ φίλον Οἰδίπου τέκος, ἔδεισ' ἀκού- στρ. α΄.
σασα τὸν ἁρματόκτυπον ὄτοβον, ὄτοβον,
ὅτε τε σύριγγες ἔκλαγξαν ἑλίτροχοι,
ἱππικῶν τ' ἀγρύπνων
πηδαλίων δία στόμια
πυριγενετᾶν χαλινῶν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

τί οὖν; ὁ ναύτης ἆρα μὴ εἰς πρῷραν φυγὼν
πρύμνηθεν εὗρε μηχανὴν σωτηρίας,
νεὼς καμούσης ποντίῳ πρὸς κύματι;

ΧΟΡΟΣ.

ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρ- ἀντ. α΄.
χαῖα βρέτη, θεοῖς πίσυνος, ἅτε νιφάδος
ὅτ' ὀλοᾶς νιφομένας βρόμος ἐν πύλαις,
δὴ τότ' ἤρθην φόβῳ
πρὸς μακάρων λιτάς, πόλεος
ἵν' ὑπερέχοιεν ἀλκάν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.

ΧΟΡΟΣ.

οὐκ οὖν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν;

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

ἀλλ' οὖν θεοὺς
αὐτοὺς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

ΧΟΡΟΣ.

μήποτ' ἐμὸν κατ' αἰῶνα λίποι θεῶν στρ. β΄.
ἅδε πανήγυρις, μηδ' ἐπίδοιμι τάνδ'
ἀστυδρομουμέναν πόλιν καὶ στράτευμ'
ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

μή μοι θεοὺς καλοῦσα βουλεύου κακῶς·
πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
μήτηρ, γονῆς σωτῆρος· ὧδ' ἔχει λόγος.

ΧΟΡΟΣ.

ἔστι· θεοῖς δ' ἔτ' ἰσχὺς καθυπερτέρα· ἀντ. β΄.
πολλάκι δ' ἐν κακοῖσι τὸν ἀμήχανον
κἀκ χαλεπᾶς δύας ὑπέρ τ' ὀμμάτων
κρημναμενᾶν νεφελᾶν σαοῖ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

ἀνδρῶν τάδ' ἐστί, σφάγια καὶ χρηστήρια
θεοῖσιν ἔρδειν, πολεμίων πειρωμένων·
σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν εἴσω δόμων.

ΧΟΡΟΣ.

διαὶ θεῶν πόλιν τε νεμόμεθ' ἀδάματον, στρ. γ'.
δυςμενέων δ' ὄχλον πύργος ἀποστέγει.
τίς τάδε νέμεςις στυγεῖ;

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

οὔτοι φθονῶ coι δαιμόνων τιμᾶν γένος·
ἀλλ' ὡς πολίτας μὴ κακοςπλάγχνους τιθῇς,
ἔκηλος ἴςθι, μηδ' ἄγαν ὑπερφοβοῦ.

ΧΟΡΟΣ.

ποταίνιον κλύουςα πάταγον ἀνάμιγα ἀντ. γ'.
ταρβοςύνῳ φόβῳ τάνδε ποτὶ ςκοπάν,
τίμιον ἕδος, ἱκόμαν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

μὴ νῦν, ἐὰν θνήςκοντας ἢ τετρωμένους
πύθηςθε, κωκυτοῖςιν ἁρπαλίζετε.
τούτῳ γὰρ Ἄρης βόςκεται, φόνῳ βροτῶν.

ΧΟΡΟΣ.

καὶ μὴν ἀκούω γ' ἱππικῶν φρυαγμάτων.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

μὴ νῦν ἀκούους' ἐμφανῶς ἄκου' ἄγαν.

ΧΟΡΟΣ.

ςτένει πόλιςμα γῆθεν, ὡς κυκλουμένων.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

οὐκοῦν ἔμ' ἀρκεῖ τῶνδε βουλεύειν πέρι.

ΧΟΡΟΣ.

δέδοικ', ἀραγμὸς δ' ἐν πύλαις ὀφέλλλεται.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

οὐ cῖγα; μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖς κατὰ πτόλιν.

ΧΟΡΟΣ.

ὦ ξυντέλεια, μὴ προδῷς πυργώματα.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

οὐκ ἐς φθόρον ςιγῶς' ἀναςχήςει τάδε;

ΧΟΡΟΣ.

θεοὶ πολῖται, μή με δουλείας τυχεῖν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

αὐτὴ ςὺ δουλοῖς καὶ ςὲ καὶ πᾶςαν πόλιν.

ΧΟΡΟΣ.

ὦ παγκρατὲς Ζεῦ, τρέψον εἰς ἐχθροὺς βέλος.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπαςας γένος.

ΧΟΡΟΣ.

μοχθηρόν, ὥςπερ ἄνδρες ὧν ἁλῷ πόλις.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

παλινςτομεῖς αὖ θιγγάνους' ἀγαλμάτων;

ΧΟΡΟΣ.

ἀψυχίᾳ γὰρ γλῶςςαν ἁρπάζει φόβος.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

αἰτουμένῳ μοι κοῦφον εἰ δοίης τέλος.

ΧΟΡΟΣ.

λέγοις ἂν ὡς τάχιςτα, καὶ τάχ' εἴςομαι.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

ςίγηςον, ὦ τάλαινα, μὴ φίλους φόβει.

ΧΟΡΟΣ.

ςιγῶ· ςὺν ἄλλοις πείςομαι τὸ μόρςιμον.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

τοὖτ' ἀντ' ἐκείνων τοὔπος αἱροῦμαι ςέθεν.
καὶ πρός γε τούτοις, ἐκτὸς οὖς' ἀγαλμάτων,
εὔχου τὰ κρείςςω ξυμμάχους εἶναι θεούς.
κἀμῶν ἀκούςας' εὐγμάτων, ἔπειτα ςὺ
ὀλολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιάνιςον,
Ἑλληνικὸν νόμιςμα θυςτάδος βοῆς,
θάρςος φίλοις, λύουςα πολέμιον φόβον.
ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς πολιςςούχοις θεοῖς,
πεδιονόμοις τε κἀγορᾶς ἐπιςκόποις,
Δίρκης τε πηγαῖς ὕδατί τ' Ἰςμηνοῦ λέγω,
εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεως ςεςωςμένης,
μήλοιςιν αἱμάςςοντας ἑςτίας θεῶν,
ταυροκτονοῦντας θεοῖςιν, ὧδ' ἐπεύχομαι
θήςειν τρόπαια, δαΐων δ' ἐςθήματα
ςτέψω πρὸ ναῶν δουρίπηχθ' ἁγνοῖς δόμοις.
τοιαῦτ' ἐπεύχου μὴ φιλοςτόνως θεοῖς,
μηδ' ἐν ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμαςιν·
οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρςιμον.
ἐγὼ δ' ἐπ' ἄνδρας ἕξ, ἐμοὶ ςὺν ἑβδόμῳ,
ἀντηρέτας ἐχθροῖςι τὸν μέγαν τρόπον
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών,
πρὶν ἀγγέλους ςπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους
λόγους ἱκέςθαι, καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.

Et potiores quidem textus Hermanniani scripturae a Mediceo codice discrepantes tum ex aliis codicibus receptae tum sola coniecturae ope vel ab ipso Hermanno vel ab aliis criticis indagatae hae sunt: 169 τῳ γυναικείῳ φυτῷ pro τῷ γυναικείῳ γένει. 174 ὀφέλλετε pro ὀφέλλεται.

versus 176 omnino deest in in cod. Med. 185 δτοβον, δτοβον, ὅτε pro δτοβον ὅτι. 187 ἀγρύπνων (Seidlerus) pro ἀΰπνων. 188 δία cτόμια (διαcτόμια Schuetzius) pro διὰ cτόμα. 192 ποντίῳ πρὸc κύματι pro ποντίῳ ἐν κύματι. 194 θεοῖc πίcυνοc, ἅτε νιφάδοc pro πίcυνοc θεοῖc νιφάδοc (sine ἅτε). 201 αὐτούc (Schuetzius) pro τοὺc τῆc. 208 γονῆc pro γυνή. 210 τόν (Canterus et Aldus apud Marcellinum in vita Thucydidis) pro τάν. 211 ὑπέρ τ' pro ὕπερθ'. 212 cαοῖ pro ὀρθοῖ. 216 διαὶ θεῶν πόλιν τε pro διὰ θεῶν πόλιν (sine τε), ibidem νεμόμεθ' pro νεμόμεcθ' et ἀδάματον (Pauwius) pro ἀδάμαντον. 218 τίc (Heathius) pro τί. 222 ἀνάμιγα pro ἄμμιγα. 223 τάνδε ποτὶ cκοπάν pro τάνδ' ἐc ἀκρόπολιν. 237 καὶ cὲ καὶ πᾶcαν πόλιν pro κἀμὲ καὶ πᾶcαν πτόλιν. 240 ἄνδρεc pro ἄνδραc. 256 ὕδατί τ' Ἰcμηνοῦ (sic Geelius et L. Dindorfius nisi quod hic parvo sane discrimine ὕδαcί τ' Ἰcμηνοῦ commendat) pro οὐδ' ἀπ' Ἰcμηνοῦ. 260. 261 θήcειν τρόπαια, δαΐων δ' ἐcθήματα | cτέψω πρὸ ναῶν δουρίπηχθ' ἁγνοῖc δόμοιc pro scriptura manifestis glossematis deforτα mata θήcειν τρόπαια. πολεμίων δ' ἐcθήμαcι | λάφυρα δαΐων. δουρίπληχθ' ἁγνοῖc δόμοιc | cτέψω πρὸ ναῶν πολεμίων δ' ἐcθήματα.

His igitur centum et septem versibus bis et vicies a Medicei codicis memoria recessisse Hermannum videmus (si quidem recte numeravimus scilicet universum genus orthographicum aliasque parvas discrepantias quae ad accentum spiritumve spectant de industria prorsus omittentes). verumtamen ne sic quidem ullo modo rem absolvisse existimandus est Hermannus, quum et plerosque locos quibus manum suam adhibuit veluti 187. 188. 192. 194. 200. 208. 212. 216. 256. 260 sq. parum felici successu tractasse mihi videatur, et quod maius est, haud paucos locos item manifesto depravatos quales tum in Mediceo tum in reliquis libris ms. leguntur, omnino intactos reliquerit. sunt vero ni fallor hi: 172. 176. 186. 189. 226. 227. 230. 234. 241. 244. 253. 258. 259. 266. itaque omnes hos locos tam eos quos admirabilis Godofredi Hermanni sagacitas nescio quo pacto omisit, quam eos quorum emendatio huic incomparabili critico minus prospere cessit, nunc secundo capite quod statim sequetur tractaturi sumus paulo accuratius anquirentes et perlustrantes etiam novissimas recentiorum criticorum curas Aeschyleas uti Dindorfii Weilii Keckii Ritschelii aliorum, prout huius qualiscumque opellae criticae ratio postulare nobis videbitur.

Cap. II.

Adnotationes criticae de locis emendandis.

172. φυγὰc θεῖcαι pro simplici φυγοῦcαι (sic enim vulgo ibi explicant interpretes) dudum mihi suspectum et fortasse ex phrasi βλάβην τίθει (182) ortum videtur, praesertim quum aliam multo meliorem scripturam βοάc quamvis ab omnibus criticis neglectam et Robortellum et aliquot codices (Vind. 2. 4. Vit.) habere testetur Hermannus. atque hanc ipsam scripturam βοάc a manu Aeschyli exiisse et pro θεῖcαι una literula deleta εἶcαι scribendum esse facile adducor ut credam. ἱέναι βοήν et alia similia ut γλῶccαν, φωνήν, θρῆνον, βάγματα, αὐδάν, ἀοιδήν in vulgus nota sunt. διάδρομοι βοαί dicuntur clamores dissoni satis usitata metaphora similiterque Aeschylus Agam. 1143 usurpavit adverbium cυνδρόμωc i. e. congruenter.

176. hunc versum qui in solo M. omittitur plerique critici nescio qua codicis illius praestantia decepti et exemplum Dindorfii secuti pro interpolato habent praeter Keckium qui eum servandum et ante versum 168 inserendum putavit. ac Dindorfius quidem remoto versu illo ante versum 177 lacunam statuit quam sic explevit: τοιγὰρ προφωνῶ πᾶcιν ἡcύχωc ἔχειν suumque

emblema omnibus criticis probavit nisi quod Keckius proprio conatu talem potius versus speciem commendavit: ἐγὼ δὲ πάντας σωφρόνως ἔχειν θέλω. equidem ut dicam quod sentio nec interpolationem nec traiectionem nec lacunam hic probo qui parvam tantum labeculam illi versui adspersam esse putem quam sic deterserim: τοιαῦτά τοι γυναιξὶ συνναίων ἔχω. tam gravi sententia Eteoclem a conviciis in virgines Thebanas iactatis transitum parare ad severum edictum suum (quod 177—180 proponitur) aptissimum est nec qui orationem duram et decurtatam in versu 177 κεἰ μή τις κτλ vituperavere particulam τοίνυν vel ἄρα vel τοιγάρ vel simile quid ad conectendos versus desiderantes, omnino cogitasse mihi videntur homines iratos et increpantes breviter et compresse loqui solere prorsusque abstinere particulis syllogisticis. quodsi quis denique quaerat, qui tandem factum sit ut versus ille: τοιαῦτα τἂν γυναιξὶ συνναίων ἔχοις (sic enim vulgo nunc scribitur) in γνώμης speciem abiret, cum reputare velim nihil hoc corruptelae genere frequentius esse. sic ut aliud insigne exemplum huius fabulae afferam, gravissimus versus 700 quo totius fabulae Thebanae καταστροφή sive περιπέτεια indicatur, item ad hanc communem ambiguam et debilem sententiam: θεῶν διδόντων οὐκ ἂν ἐκφύγοις κακά a delirantibus librariis criticisque quibusdam pedisequis redactus est. qui quidem versus quomodo emendandus sit, explicatius alio loco dicam. ad idem γνωμολογίας genus spectat etiam Promethei locus in prologo 49. 50 non minus insignis quem ante multos annos annal. philol. Fleckeiseni vol. LXXXIII p. 531 sqq. persanare studui. sed redeamus ad episodium nostrum.

184—189. haec stropha undique variis librariorum mendis oppleta est, sed nullum mendum gravius quam illud quod omnium criticorum acumen nescio quo pacto effugit. quid enim? nonne misere frigere sentimus praepositionem διά 188 vel potius δία per ἀναστροφήν? pro qua equidem scripserim ζυγά. πηδαλίων ζυγά sunt gubernaculorum clavi quibuscum per metaphoram a re navali sumptam apte comparantur frena habenarum i. e. στομίδες χαλινῶν. στομίδες recte Weilius metri causa reposuit pro librorum scriptura στόμα quod reliqui critici in στόμια mutarunt. en habes comparationem plenam et absolutam Aeschyloque dignam, quam quidem a choro institutam etiam Eteocles responso suo respiciens pluribus persequitur 190 sqq nunc reliqua strophae menda sic mecum corrige: primum 186 pro codicum scriptura ἑλίτροχοι quae nihili est, scribe quaeso addita una syllaba qua ne dochmius quidem carere potest — ἑλικότροχοι. quod quidem epitheton secundum analogiam epitheti Homerici ἑλίκωψ ut videtur conformatum ad modiolos rotas volventes inprimis accommodatum est. tum 187 ἀγρύπνων (libri omnes habent ἀΰπνων) quod cum Seidlero Blomfieldioque in textum recepit Hermannus ad locum Promethei 360 item suspectum provocans, nemo non sentit quam iners ne dicam ineptum epitheton gubernaculorum sit. nec profecto magis commendabile Emsleii inventum ἄϊον*) aut Lachmanni coniectura ἄπυον a Dindorfio reposita quae vel propter insolens huius verbi hyperbaton prorsus reicienda est. quid multa? lege mecum εὐτύκων — quam vocem Aeschyleam in libris obliteratam ex Hesychii lexico poetae nostro aliquotiens restitui. Hesychius enim hanc glossam habet: εὐτυκές· (εὔτυκος?) εὐεργές. εὐχερές. εὐποίητον. ῥᾴδιον. quid vero aptius quam gubernaculum dici vel affabre factum vel commodum vel habile? denique 189 pro πυριγενετᾶν quod parum quadrat in ipsas habenas, leni sane mutatione scribendum πυριγενέται illudque referendum ad sola frena: nisi forte malis

*) Criticus Anglus Paleius hoc infelicissimum popularis sui inventum cupidius in textum recepit sic verba interpretans l. c. p. 264: ‚and when I heard (the noise of) the guiding — reins of horses in their mouths the bits forged in the fire.' sed (reliqua incommoda omnia ut nunc mittam) num *ἄϊειν πηδαλίων* h. e. audire gubernacula omnino dici potest? quis enim obsecro ita loquitur — audire gubernacula pro audire strepitum vel stridorem gubernaculorum vel ut graece loquar, *ἄϊειν ψόφον πάταγον* vel *ὄτοβον πηδαλίων*? plane ut consimili loco qui paulo ante praecedit 185 *ἀκούσασα τὸν ἁρματόκτυπον ὄτοβον κτλ.*

πυριβρεμέται. nam eiusdem Hesychii glossam: πυριβρεμέτας ὁ χαλινός· Τιμαχίδας (glossographus) δὲ (λέγει) ἤτοι ὁ πυρὶ βρέμων, ἢ διὰ πυρὸς βρέμοντος γεγονώς ad hunc locum Aeschyleum spectare primus probabiliter coniecit Dindorfius.

192. numquam non male me habuit scriptura ποντίῳ πρὸς κύματι in qua aliquid ulceris latere Weilius quoque sentiens dubitanter proposuit ποντίῳ κλυδωνίῳ. equidem ex ipsis codicum vestigiis probabilius instaurasse mihi videor manum Aeschyli quae nescio an haec fuerit: ποντίῳ προσκλύσματι.

199—201. mirum profecto est ipsum compositionis antitheticae inventorem Weilium incerto codicis M. testimonio et exemplo Hermanni ut videtur commotum hos tres versus in editione sua inter Eteoclem et chorum divisisse*): quo non modo sublimiorem illam rationem antitheticam a semet ipso detectam violavit, sed etiam simplicissimam stichomythiae legem plane evertit. verum tamen errorem suum mox ipse agnovit invictis Keckii argumentis assentiens annal. philol. Fleckeiseni vol. LXXXIX p. 583, postquam iam ante sponte concessit omnes tres versus propter stichomythiam Eteocli videri tribuendos esse, sed verba ipsa obstare. itaque videamus singula verba: quae cave credas ab interpretibus recte explicata esse. en argumentum horum versuum: Eteocles virginum trepidatione valde offensus iraque excandescens paulo acerbius et iniustius in pavitantes eiulantesque Thebanas invehitur frustra eas precari ut turres hostium impetum sustineant, sollemniter asseverans deosque ipsos invocans: πρὸς θεῶν h. e. per deos. (scil. iuro). itaque εὔχεσθε indicativus est, non imperativus. οὔκουν τόδ' (libri τάδ') ἔσται πρὸς θεῶν non est interrogatio ut vulgo explicant interpretes falso vertentes: nonne hoc penes deos erit? vel secundum Weilium**): deorumne hoc intererit? — sed sic potius vertendum: nequaquam (vel non ergo) hoc erit (fiet) per deos! iam idem Eteocles pergit: sed enim deos ferunt e qualibet capta urbe excedere. pro ἀλλ' οὖν facile quis suspicari possit καὶ γάρ, sed nihil mutandum: ἀλλ' οὖν dictum est pro simplici ἀλλά vel pro ἀλλὰ γάρ. pro τοὺς γῆς vero quod libri testantur, noli cum Schuetzio et Hermanno αὐτούς scribere aut quicquam remedii a scholiis hic exspectare, quum ex ipsis potius verbis locique indole πάσης pro τοὺς τῆς conicere in promptu sit. quae quidem vox non sine acumine quodam usurpata videtur in hac communi sententia quacum apte comparari solet locus Vergilii Aen. II, 351: excessere omnes adytis arisque relictis di quibus imperium hoc steterat.

204. 205. olim cum Prienio et Weilio de corruptela huius loci cogitavi, nunc pro sano habeo, quum Aeschylum a structura verbi passivi 204 ἀστυδρομουμέναν πόλιν ad structuram activam vel potius mediam 205 καὶ στράτευμ' ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ transire putem. ἅπτεσθαι πυρί est aggredi sive invadere igne i. e. incendere dictumque pro simplici ἅπτεσθαι vel ἅπτειν. quippe supplendum est quod vulgo omittitur pronomen αὐτῆς i. e. πόλεως. στράτευμα vero exercitum hostilem esse quum omnino e verborum contextu appareat tum aperte significatur adiectivo δαΐῳ. quod quidem epitheton etiam cum voce στράτευμα iungere poterat poeta ut 132 στρατῷ δαΐῳ, sed Homericum illud et magis poeticum πυρὶ δαΐῳ maluit. itaque nec δαΐῳ nec ἁπτόμενον mutandum cum Prienio qui scholio Mediceo: γρ. τυφόμενον, οἷον καιόμενον πολεμίῳ πυρί fraudem sibi fieri passus est.

---

*) Violentissimam hanc divisionem etiam Paleius in editione sua secutus est: verum tamen in adnotatione haec caute addit l. c. p. 265: ‚it is remarkable, because very unusual, that a dialogue between two here corresponds to the three verses spoken by Eteocles in the strophe.'

**) Cf. Addenda et corrigenda ad Aeschyli Persas p. 129.

207. 208. en locus omnium criticorum naufragiis infamis. ac primum quidem qui εὐταξίας pro εὐπραξίας 207 nuper proposuere, ne cogitasse quidem videntur Eteoclem hic non loqui ad milites sed ad virgines Thebanas quibus in tanto rerum discrimine propria salus (εὐπραξία), non disciplina militaris (εὐταξία) curae est. iam videamus proximum versum (208) turpissimis glossematis ni fallor inquinatum. et ineptissimum quidem glossema γυνή fortasse ad explicandum usum metaphoricum vocis μητήρ a stolido librario adscriptum parvo negotio removere possis scholiastae Medicei ope qui haec memoratu digna profert: λείπει Διός· γυνὴ Διὸς σωτῆρος. atqui ascito Διὸς σωτῆρος (sc. ὄντος) quod pro γυνὴ σωτῆρος scholiastam Mediceum in codice suo invenisse apertum est, ipsa Aeschyli manus nondum mihi videtur recuperata esse. etenim et participio ὄντος vel ὑπάρχοντος aegre hic careas et ipsum illud Iovis epitheton σωτῆρος sine acumine et adeo moleste additum sentimus. ut qui etiam hic de glossemate cogitet, in temeritatis reprehensionem incurrere vix possit. ne multa — pro σωτῆρος antiquitus scriptum fuisse suspicor θέλοντος h. e. Iove propitio. quod quidem quam accommodatum sit huic loco et quam bene congruat cum sententia et Eteoclis et virginum Thebanarum ad benevolentiam auxiliumque deorum usque provocantium (193—218 et 234—238), non est quod moneam. habes igitur insigne exemplum duorum glossematum γυνή et σωτῆρος item duas genuinas scripturas Διός et θέλοντος loco suo moventium. nunc vero vide sis recentiorum criticorum tralaticiae scripturae nimis adhaerentium haud utilia opinor inventa, Hermanni quidem γονῆς σωτῆρος et Ritschelii τύχης σωτῆρος pridem propositum et iterum ab eo opusc. philol. vol. I p. 740 sq. sedulo commendatum: qui quidem critici — pace tantorum virorum dixerim — nescio quid languidi et prorsus ab hoc loco, sententiam si spectes, alieni hic inferre et adeo vitiosum sermonem nempe σωτῆρος cum substantivo feminini generis perperam iungentes et depravato Agam. loco 642 male sese tutantes bono Aeschylo tribuere ausi sunt.

212. ὀρθοῖ quod omnes libri ms. testantur, dupliciter falsum est tum propter metrum (strophicus enim versus 205 brevem paenultimam habet) tum propter ipsius sermonis pravitatem. etenim ὀρθοῦν ἄνδρας κειμένους, quem ad modum dixit Archilochus frag. 51, 2 vel Euripides Troad. 1161 ὀρθοῦν Τροίαν πεσοῦσαν, recte sese habet, at ὀρθοῦν τὸν ἀμήχανον (ut hoc loco) non item, quum qui consilii expers est, eum non sane erigere, sed potius dare consilium vel commonstrare ei viam opus sit. quid igitur quaeso evidentius quam pro ὀρθοῖ reponere ὁδοῖ? quod quidem longe longeque praeferendum coniecturae Hermanni qui paulo audacius σαοῖ in textum recepit.

216. 222. elegantissimos dochmios versus strophici διαί pro διά scribens et inertem particulam τε post vocem πόλιν inserens misere corrupit Hermannus scilicet trimetrum iambicum ab his κομμοῖς prorsus alienum effingens ad similitudinem versus strophici aperte corrupti. nam quid obsecro ibi sibi vult strepitus recens = πάταγος ποταίνιος? quo quidem epitheto ecquid ineptius cogitari potest? nec profecto plus acuminis habet ποτάνιος adiectivum quod sine auctoritate antiqua pridem commentus est Heathius aut huic cognatum nuperque valde commendatum ποτανός. sed qui tandem pristinum nitorem huius versus (strophicus enim sanissimus est) recuperemus? si hariolari in tantis tenebris licet, fortasse sic: διάδρομον κλύουσ' ἀνάμιγα πάταγον. διάδρομος usitata metaphora ut supra dixi ad versum 172, est dissonus amatque Aeschylus eiusmodi composita veluti περίδρομος πρόδρομος σύνδρομος alia. nec alienam esse ab eodem Aeschylo scimus talem synonymorum coniunctionem ut hoc loco διάδρομον ... ἀνάμιγα. quod ei vitio vertisse iculariter quidem nec tamen immerito constat Euripidem apud Aristophanem in Ranis 1154: δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος. nunc vide etiam singulorum sonorum ab initio et in fine utriusque versus tam strophici quam antistrophici similitudinem quam item praecipue amasse Aeschylum nemo nescit: 216 διὰ θεῶν ... ἀδάματον = 222 διάδρομον ... πάταγον (hoc dudum transposuit Prienius), ut ad per-

fectam numerorum elegantiam nihil omnino deesse videatur. denique siquis miretur quod sat insolitum vocabulum ποταίνιον (pro διάδρομον) textum Aeschyleum occupaverit, haud dubitem equidem eum admonere eodem modo illud factum esse atque in aliis centenis vel millenis locis apud omnes veterum scriptores — nempe foedissima interpretamentorum sive glossematum scabritie. igitur genuinae scripturae Aeschyleae διάδρομον quam divinando et sola coniecturae ope recuperavimus, a librario nescio quo adscriptum glossema fortasse fuit ποτανόν. quod quidem glossema gliscente magis magisque corruptela facile in ποταίνιον depravatum post in ipsa Aeschyli verba irrepsit.

226. de hoc versu omnes quod sciam critici securi neque quicquam mendi suspicantes aut omnino tacent aut Hesychii glossam ἁρπαλίζομαι· ἀσμένως δέχομαι (i. e. avide excipio) et codicum consensum iactant. sed hoc verbum etiamsi in centum Hesychiis centumque codicibus exstaret, non probarem. totus enim locus clamat verbum clamandi vel potius lamentandi hic desiderari. quod non posse aliud esse quam ἰύζειν suspicor, ut sic versus ille facile emendari posse videatur: πύθεσθε, κωκυτοῖσιν ἀντιύζετε. eodem verbo usus est Aeschylus quum alibi tum Suppl. 838 (item in diverbio) ἴυζε καὶ λάκαζε καὶ κάλει θεούς. sed etiam proximo versui (227) vix dubium videtur quin parva labecula adhaeserit: languidissime enim post τούτῳ per ἐπεξήγησιν quam vocant addi φόνῳ βροτῶν unus quisque credo sentit. quapropter sic scripserim: τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται φονεὺς βροτῶν. contra in scriptura τούτῳ sedem corruptelae quaerens Weilius novissime l. c. hoc dubitanter commendavit: κοινῷ γὰρ Ἄρης βόσκεται φόνῳ βροτῶν.

230. in hoc uno versu tria vitia inesse quis credat? age videamus singula. primum στένει πόλισμα etsi graecum sane atque adeo poeticum est similique metaphora dixit Aeschylus ut paucis exemplis defungar, hac ipsa fabula (876) στένουσι πύργοι, στένει πέδον φίλανδρον. Pers. 506 ὡς στένειν πόλιν Περσῶν. 543 στένει γαῖ' Ἀσιάς. 684 στένει, κέκοπται καὶ χαράσσεται πέδον. Agam. 685 Πριάμου πόλις γεραιὰ πολύθρηνον μέγα που στένει, tamen propter id ipsum quod nimis poeticum est, hic locum non habet, ubi chorum in tanto periculo non fucum et ornamenta orationis quaerere, sed simplicissime ac verissime loqui decet, fortasse sic: στένω πόλισμα quem ad modum et ante 228 ἀκούω et post 232 δέδοικα locutus est. deinde nec γῆθεν si recte sentio, probandum nec debilis particula ὡς valde placet et quod maximum est, omnino deest participio κυκλουμένων subiectum quod in prava scriptura γῆθεν ὡς (alii libri et Turn. pro γῆθεν praebent δῆθεν) fortasse delitescit — scilicet δαΐων. atque hoc ipsum vocabulum etiam scholiasta Mediceus legisse videtur qui hoc modo interpretatur: ὡς κυκλούντων τὴν πόλιν τῶν πολεμίων κτλ.

253. acute quidem Weilius de hoc versu: ‚concinnius esset λύσιν τε πολεμίων φόβων.' sed repente a vero aberravit nihil mutandum esse addens. profecto mutandum aliquid, sed hercle non ita uti censebat Weilius: quo enim concinnior fiat oratio, pro participio λύουσα investigandum aliud participium quod ad utrumque obiectum et θάρσος et φόβον pariter accommodari queat, exempli causa:

θάρσος φίλοις διδοῦσα, πολεμίοις φόβον.

quamquam in promptu sunt etiam alia veluti φύουσα, τιθεῖσα, sed διδοῦσα ut simplicissimum praeferendum arbitror. eximia enim arte poeta Eteoclem regem simpliciter graviter regiaeque dignitati convenienter loquentem monentem atque adeo vituperantem et obiurgantem facit, quod parum spectasse mihi videntur critici.

254—264. denique perventum est ad locum difficillimum crucem ut ita dicam omnium interpretum et criticorum. in persanando hoc loco praeter ceteros etiam ‚princeps ille philologorum'

Fridericus Ritschelius acumen suum exercuit. ac Ritschelius quidem qui in indice scholarum aestiv. univers. Bonnensis a. 1857 talem διόρθωϲιν proposuit:*)

ἐγὼ δὲ χώραϲ τοῖϲ πολιϲϲούχοιϲ θεοῖϲ
πεδιονόμοιϲ τε κἀγορᾶϲ ἐπιϲκόποιϲ
Δίρκηϲ τε πηγαῖϲ ὕδατί τ' Ἰϲμηνοῦ λέγω,
εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεωϲ ϲεϲωϲμένηϲ,
μήλοιϲιν αἱμάϲϲων τόθ' ἑϲτίαϲ θεῶν
θήϲειν τροπαῖα δαΐων ἐϲθήματα,
ϲτέφων λάφυρα δουρίπηχθ' ἁγνοῖϲ δόμοιϲ.
τοιαῦτα [τἀμὰ προϲδέχοινθ' ὁρκώματα.
ϲὺ δ' οὖν] ἐπεύχου μὴ φιλοϲτόνωϲ θεοῖϲ,
μηδ' ἐν ματαίοιϲ κἀγρίοιϲ ποιφύγμαϲιν·
οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃϲ τὸ μόρϲιμον.

re vera praecipuam corruptelae sedem h. e. interpolationem versus 259 ταυροκτονοῦνταϲ θεοῖϲιν, ὧδ' ἐπεύχομαι sagacissime indagavit: sed tamen dubito num recte totum versum in suspitionem vocaverit. nam certe ἐπεύχομαι vel quod propter ingratam repetitionem (recurrit enim paulo post 262) malim ἐξεύχομαι (i. e. valde glorior, opto, in votis habeo) verbi notio omnino hic necessaria est. at maxime offendo 258 in voce θεῶν, quum 254 praecedat θεοῖϲ. itaque duo potius hemistichia conicio sic in unum versum coniungenda esse: μήλοιϲιν αἱμάϲϲονταϲ | ὧδ' ἐξεύχομαι. verba enim ἑϲτίαϲ θεῶν non minus interpretis male seduli manum produnt quam ταυροκτονοῦνταϲ θεοῖϲιν. et pluralem quidem numerum quem etiam scholion Mediceum (259 λείπει ἡμᾶϲ, ἡμᾶϲ ἐπεύχομαι) tuetur, genuinum esse Eteoclemque pro omnibus Thebanis vota nuncupare num bene monuerit Weilius, infra copiosius explicabitur. atqui verbum λέγω 256 ,in unius constructionis continuitate ἐκ παραλλήλου positum ἐπεύχομαι verbo non mediocriter offendere' rectissime sensit Ritschelius. quam quidem offensionem pridem removere conatus sum Mus. Rhen. vol. XI p. 305 usum parentheticum eundemque epexegeticum verbi λέγω huc adsciscens totumque versum sat probabili opinor coniectura sic scribens: Δίρκηϲ τε πηγαῖϲ, οὖθατ' Ἰϲμηνοῦ λέγω. quam coniecturam etiamnunc tueor. igitur hic quoque non plus quam unius fere literae mutationem mihi sumo, quum pro ΟΥΔΑΠ quod in libris est, non speciosum**) quidem Geelii inventum ὕδατί τ' probo, sed proprio Marte ΟΥΘΑΤ conicio. Eteocles rex Thebanorum in sollemni deorum patriorum invocatione non potuit non Dircaeos quoque fontes tamquam praestantissimum numen fluviale Thebanorum commemorare. plane ut postea 289 chorus dicit: ὕδωρ τε Διρκαῖον εὐτραφέϲτατον πωμάτων κτλ. sed hoc loco ipse Eteocles addit οὖθατ' Ἰϲμηνοῦ λέγω, quibus et eximiam fontium illorum ubertatem***) fortasse Homericum οὖθαρ ἀρούρηϲ imitando exprimens et artissimam eorundem fontium cum flumine Ismeno ideoque cum Thebis ipsis coniunctionem significare vult. iam videndum de aliis horum versuum difficultatibus. quae inde a versu 260 sequuntur, sic in codice Mediceo perscripta sunt:

                                        τα
θήϲειν τρόπαια. πολεμίων δ' ἐϲθήμαϲι | λάφυρα δαΐων δουρίπληχθ' ἁγνοῖϲ δόμοιϲ | ϲτέψω πρὸ ναῶν
      τ'
πολεμὶων δ' ἐϲθήματα. e quibus sanissimo iudicio quaedam manifesta glossemata resecuit Hermannus hos duos versus effingens: θήϲειν πρόπαια, δαΐων δ' ἐϲθήματα | ϲτέψω πρὸ ναῶν δουρίπηχθ'

---

*) Cf. etiam eiusdem Friderici Ritschelii opuscula philologica. Lipsiae. 1866. vol. I p. 365 sqq.

**) Valde placuit haec coniectura quum aliis criticis tum Paleio qui haec habet l. c. p. 269: ,the restoration (*ὕδατί τ'*) may be regarded as a very happy one, *τι* and *π* being often confused, as remarked on Suppl. 747. perhaps howewer we should read *Ἰσμηνοῦ πόρου*, as inf. 359.'

***) Geographie von Griechenland. Von Conrad Bursian. Leipzig. 1862 p. 225.

ἀγνοῖς δόμοις. sed διόρθωσιν absolutam esse vix crediderim. etenim nec a ταὐτολογίας vitio liberum est πρὸ ναῶν — ἀγνοῖς δόμοις nec offensione caret altera eaque etiam molestior vocabulorum idem significantium quasi coacervatio: τροπαῖα, πολεμίων ἐσθήματα (quod adeo paulo post iteratur) et λάφυρα δαΐων. omninoque totus ille versus qui in solo cod. Med. et Par. B exstat: στέψω πρὸ ναῶν πολεμίων ἐσθήματα (in Par. A et in Lips. tantum priora tria verba leguntur) a glossographo nescio quo ad explicanda verba θήσειν τροπαῖα mihi videtur esse additus. quid multa? ex tanta tamque intolerabili glossematum farragine vix quicquam aliud quod Aeschylo dignum sit, emergit quam unus versiculus cuius genuinam speciem ascita Porsoni coniectura (ad Euripidis Hec. 482) δουρίληφθ' pro vulgata codicum scriptura δουρίπληχθ' talem fuisse existimo: θήσειν τροπαῖα δουρίληφθ' ἀγνοῖς δόμοις. θήσειν τροπαῖα non est dictum (ut vulgo opinantur interpretes) pro στήσειν τροπαῖα quod parum quadraret in sacrificantes (258 μήλοισιν αἱμάσσοντας), sed significat idem atque ἀνατιθέναι quod etiam scholiasta Mediceus habet (260 ἐσθήμασιν ἐσθήματα ἀναθήσω πρὸ τῶν ναῶν τὰ λάφυρα) i. e. deponere, dedicare tropaea. quem quidem morem dedicandorum tropaeorum vel spoliorum idem Aeschylus tangit Agam. 555 sqq.

Τροίαν ἑλόντες δή ποτ' Ἀργείων στόλος
θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαίων γάνος.

quamquam (verum ut fatear) pro trita phrasi θήσειν τροπαῖα proclive sane est ut ποιητικώτερον scribere στέψειν λάφυρα quod item bene coit in versum. verum tamen hic quoque malui orationem planam ac simplicem qualem regiae Eteoclis dignitati magis convenire ante dixi, poetae restituere quam verborum pompam et flosculos quosdam sectari quos pleno ore fudit Weilius sic pristinam Aeschyli manum recuperari posse opinans: θύσειν τροπαῖα, δαΐων δ' ἐσθήματα | λάφυρα θήσειν δουρίληφθ' ἀγνοῖς δόμοις | στέφος πρόναον· ὧδ' ἐπεύχομαι θεοῖς. Ritschelius vero quod tot tantasque loci huius difficultates augens lacunam quoque inter verba τοιαῦτ' — ἐπεύχου 262 indagasse sibi visus est, non sola compositione antithetica, de qua statim sermo erit, redarguitur. nam quidni virgines Thebanae precari vel optare dicantur τοιαῦτα? scilicet ut haec fiant feliciterque eveniant quae ipse Eteocles voverat, vel ut ipsius Aeschyli verbis utar μήλοισιν αἱμάσσοντας θήσειν τροπαῖα δουρίληφθ' ἀγνοῖς δόμοις, si quidem recte manum nostram huic loco adhibuimus. verum enimvero unum (ne quid celem) restat in his quod dubitationem sane moveat: friget enim reapse participium αἱμάσσοντας sine substantivo positum, id quod Weilius quoque sentiens molestum illud θεῶν in λεών mutandum totumque versum sic scribendum esse putavit: μήλοισιν αἱμάσσοντας ἑστίας λεών. quam mutationem vereor equidem ut cuiquam probaturus sit. aliam viam ingressus est Ritschelius qui non ad universos Thebanos, sed ad unius Eteoclis regis personam voti susceptionem spoliorumque dedicationem referendam esse tum ex singulari numero quo usus est scholiasta Mediceus 260 ἀναθήσω — poterat etiam alteram explicationem eiusdem scholiastae addere 256 θύω — tum ex scriptura στέψω probabiliter sane coniecit. quod quum etiam ex ipsis Eteoclis verbis 250 κἀμῶν ἀκούσας' εὐγμάτων, ἔπειτα σύ κτλ manifestum fiat, nescio an Ritschelianum inventum αἱμάσσων (pro αἱμάσσοντας) probandum, reliqua paulo audacius sic redintegranda sint:

μήλοισιν αἱμάσσων ἄναξ ἐξεύχομαι.

regiae enim dignitatis commemoratio in hac sollemni deorum invocatione votique sponsione inprimis apta est similiterque Eteocles item dignitatis suae memor ad virgines Thebanas locutus est 177 κεἰ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται. hoc igitur in votis habet ac sperat Eteocles rex se ipsum sacrificantem spolia bello capta in templis deorum dedicaturum esse. sed videant quaeso acutiores!

265. 266. priore versu iunge ἓξ . . . ἀντηρέτας, non ut vulgo fit ἄνδρας ἓξ quod prorsus falsum est. ἐπ' ἄνδρας est contra hostes. itaque nec pinguissimo Canteri invento ἐπάρχους quod praepropere in textum recepit Weilius, nec aliorum coniecturis ἐγὼ μέν, ἐγὼ δέ γ', ἐγὼ δ' ἔτ' opus est. at vero in altero versu manifestum mendum latet — scilicet in voce ἐχθροῖσι pro qua scripserim ἐχθρούς τε, ut in hunc quoque locum (ἀντηρέτας ἐχθρούς τε) cadat quod Euripides apud Aristophanem de Aeschylo synonymorum amantissimo dixit: δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.

Cap. III.
De compositione episodii antithetica.

Compositio huius episodii antithetica qualis sit, sic in editione sua explicat Weilius: ,hoc episodium includitur duabus Eteoclis orationibus 163—183 et 247—269 quas inter se respondere intellexit Keckius [annal. philol. Fleckeiseni vol. LXXXI p. 860 sq.] utraque constat versibus quinis et bis octonis. interiecta sunt duo systemata. v. 184—227 lyrica cum iambicis ita conectuntur ut tribus chori strophis dochmiacis totidemque antistrophis Eteocles sexies ternis trimetris respondeat: sed tamen secundi ternionis pars a coryphaeo pronuntiatur. v. 228—247 stichomythia quater quinorum versuum'. ac primum quidem de incredibili Weilii errore qui ad partem secundi ternionis (200) a coryphaeo pronuntiatam spectat quique ei cum Hermanno communis est, supra in adnotationibus iam dictum est. nec minus falso Weilius Keckium secutus versum 247 ab ipsa Eteoclis oratione seiunxit referens illum ad praecedentem stichomythiam quam nimis artificiose secundum formulam 5 × 4 ad amussim exaequatam voluit. quid? quod etiam innocentissimo eidemque gravissimo orationis Eteocleae versui 249 εὔχου τὰ κρείσσω ξυμμάχους εἶναι θεούς idem Weilius vim et manus inferre ausus est, scilicet ut alteram formulam suam 5. 8. 8 probaret. omninoque ut dicam quod sentio, quo simplicior et evidentior discriptio longiorum systematum in singulas periodos articulosve est, ut sponte tamquam incurrat in oculos, eo profecto plus commendationis omnis compositio antithetica habere mihi videtur. quid multa? duas Eteoclis orationes potius secundum simplicissimam formulam 13. 8 compositas esse patet, si quidem ea quae de difficilioribus locis illis (176 et 256—262) supra cap. II disputavimus, aliquam probabilitatis commendationem habent. quamquam priorem quoque periodum quae ex XIII versibus constat, utpote paulo longiorem item in aequabiles articulos (7. 6) consulto hic poetam distinxisse haud omnino negaverim. ac de externa quidem compositionis antitheticae specie utriusque orationis Eteocleae hactenus.

Iam quaeritur quomodo poeta compositionem antitheticam harum duarum orationum tanto intervallo (scilicet sat magno LXII versuum numero) disiunctarum omnino perspicuam et probabilem reddiderit. en habes quum universi argumenti tum singulorum dictorum vocumque tam accuratam responsionem ut utraque oratio alternis vicibus aequabiliter decurrens ad carminis amoebaei similitudinem prope accedere videatur. 180 λευστῆρα δήμου δ' οὔ τι μὴ φύγῃ μόρον = 264 οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρσιμον. tum eadem vocula τοιαῦτα haud inscite utrobique initio alterius periodi ponitur 176 = 262. praeterea huc spectant: 164, 174 ἄριστα*) et ὡς ἄριστα = 249 τὰ κρείσσω. 165, 170 θάρσος et θράσος = 253 θάρσος. 166 πολισσούχων θεῶν = 254 τοῖς πολισσούχοις θεοῖς. 168 φίλῃ = 253 φίλοις. 171 πόλει = 257 πόλεως. 172 βοάς (ex aliquot codicibus et Rob. a

*) Inutiliter nuper temptatum a criticis vel ἀρισιτά vel ἀρωγά vel alind quid comminiscentibus.

nobis restitutum) = 252 βοῆς. 173 διερροθῆσατ' = 268 ταχυρρόθους. 177, 183 ἀκούσεται et ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας = 250 ἀκούσας'. 182 τίθει = 260 θήσειν (si quidem sana scriptura). 183 λέγω = 256 λέγω et si quae sunt horum similia. adde quorum paulo obscurior responsio ut 164 σωτήρια = 257 σεσωσμένης. 168 εὐεστοῖ = 257 εὖ ξυντυχόντων. 169 ξύνοικος et 176 συνναίων = 249 ξυμμάχους et 257 ξυντυχόντων. 166 βρέτη = 248 ἀγάλματα. 174 τῶν θύραθεν = 253 πολεμίων vel potius πολεμίοις (secundum nostram coniecturam) et 266 ἐχθρούς τε (sic a nobis correctum pro ἐχθροῖσι). 167 αὔειν, λακάζειν = 251 ὀλολυγμόν et 263 ποιφύγμασιν. eodem pertinent etiam similes formae quaedam veluti participiorum 170 κρατοῦσα et 171 δείσασα = 250 ἀκούσας' et 253 λύουσα vel potius διδοῦσα (secundum nostram emendationem), item infinitivorum 167 αὔειν, λακάζειν quibus respondet infinitivus antitheticus θήσειν. omninoque gravissima utriusque orationis enuntiata illa βρέτη πεσούσας πρὸς . . . αὔειν λακάζειν = μήλοισιν αἱμάσσων . . . θήσειν τροπαῖα nemo non sentit et grammatica structura valde similia et argumento plane sibi opposita esse. praeterea oppositione maxime insignia haec sunt: 163 ὑμᾶς = 254, 265 ἐγώ. 182 ἔνδον δ' οὖσα et 175 ἔνδοθεν = 248 ἐκτὸς οὖς'. 171 δείσασα = 253 θάρσος φίλοις διδοῦσα. 183 κωφῇ = 250 ἀκούσας'. 175 πορθούμεθα = 257 πόλεως σεσωσμένης. denique verbis αὔειν λακάζειν quae modo attulimus, etiam verba εὔχου παιάνισον ἐξεύχομαι ἐπεύχου 249, 250, 259, 262 quodam modo opponi et per ἀντίθεσιν usurpari apertum est. tot vero tamque manifesta et responsionis et oppositionis vestigia quae in his vicenis et quod superest versibus insunt, omnia mero casui tribuenda esse quis tandem est qui contendat? atqui siquis curiosius quam fructuosius haec omnia a nobis conquisita esse dicat, eum reputare velim (quod alibi l. c. iam dixi) ‚hac demum accuratissima tum universi argumenti tum singulorum dictorum utriusque orationis responsione compositionem antitheticam omnino probabilem fieri, quae si ad solum numerum versuum externamque speciem spectaret, inutile et molestum Aeschyli inventum esset'

Reliquum est ut antitheticam totius episodii compositionem versuumque omnium discriptionem huc spectantem brevi in conspectu ponamus. quae quidem discriptio nescio an haec sit:

v. 163—183 ῥῆσις 13 (7, 6). 8.
v. 184—227 systema lyrico-iambicum
στρ. ά. 3. ἀντ. ά 3. στρ. β'. 3.
ἀντ. β'. 3. στρ. γ'. 3. ἀντ. γ'. 3.
v. 228—246 stichomythia 5. 5. 5. 4.
v. 247—269 ἀντίρρησις 13 (7, 6). 8.

Videmus eximia arte compositum esse hoc episodium quum praeter severiorem illam quarundam chori partium (qui κομμοί vocantur) responsionem antistrophicam tum duarum longiorum orationum Eteoclearum summa sit aequabilitas et symmetria tum singulorum adeo versuum stichomythia ad eam artis normam conformata videatur ut ex tribus quinionibus et clausula quaternaria constet.

Cap. IV.
Nova episodii recensio.

Accipe nunc novam episodii recensonemi qualem non solum ad compositionem antitheticam artemque Aeschyleam sed omnino ad sanam ni fallor rationem revocare conatus sum. textus vero meae qualiscumque διορθώσεως hic est*):

*) Weilii exemplum secutus systematum periodorumque divisiones literis maiusculis notavi, articulorum vero distinctiones utpote paulo artificiosiores ideoque dubitationi obnoxias non item.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

Ὑμᾶς ἐρωτῶ, θρέμματ᾽ οὐκ ἀνασχετά,
ἦ ταῦτ᾽ ἄριστα καὶ πόλει σωτήρια,
στρατῷ τε θάρσος τῷδε πυργηρουμένῳ,
βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν
αὔειν, λακάζειν, σωφρόνων μισήματα;
μήτ᾽ ἐν κακοῖσι μήτ᾽ ἐν εὐεστοῖ φίλῃ
ξύνοικος εἴην τῳ γυναικείῳ φυτῷ.

κρατοῦσα μὲν γὰρ οὐχ ὁμιλητὸν θράσος,
δείσασα δ᾽ οἴκῳ καὶ πόλει πλέον κακόν.
καὶ νῦν πολίταις τάσδε διαδρόμους βοὰς
εἶσαι διερροθήσατ᾽ ἄψυχον κάκην·
τὰ τῶν θύραθεν δ᾽ ὡς ἄριστ᾽ ὀφέλλετε,
αὐτοὶ δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῶν ἔνδοθεν πορθούμεθα.

Τοιαῦτά τοι γυναιξὶ συνναίων ἔχω.
κεἰ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται,
ἀνήρ, γυνή τε, χὤ τι τῶν μεταίχμιον,
ψῆφος κατ᾽ αὐτῶν ὀλεθρία βουλεύσεται,
λευστῆρα δήμου δ᾽ οὔ τι μὴ φύγῃ μόρον.
μέλει γὰρ ἀνδρί, μὴ γυνὴ βουλευέτω,
τἄξωθεν· ἔνδον δ᾽ οὖσα μὴ βλάβην τίθει.
ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας, ἢ κωφῇ λέγω;

ΧΟΡΟΣ.

ὦ φίλον Οἰδίπου τέκος, ἔδεισ᾽ ἀκού- στρ. α΄.
σασα τὸν ἁρματόκτυπον ὄτοβον, ὄτοβον,
ὅτε τε σύριγγες ἔκλαγξαν ἑλικότροχοι,
ἱππικῶν τ᾽ εὐτύκων
πηδαλίων ζυγὰ στομίδες
πυριβρεμέται χαλινῶν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

τί οὖν; ὁ ναύτης ἆρα μὴ εἰς πρῷραν φυγὼν
πρύμνηθεν ηὗρε μηχανὴν σωτηρίας,
νεὼς καμούσης ποντίῳ προσκλύσματι;

ΧΟΡΟΣ.

ἀλλ᾽ ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρ- ἀντ. α΄.
χαῖα βρέτη, θεοῖς πίσυνος, ὁ δὲ νιφάδος
ὅτ᾽ ὀλοᾶς νιφόμενος βρόμος ἐν πύλαις,
δὴ τότ᾽ ἤρθην φόβῳ
πρὸς μακάρων λιτάς, πόλεως
ἵν᾽ ὑπερέχοιεν ἀλκάν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.
οὔκουν τόδ᾽ ἔσται πρὸς θεῶν! ἀλλ᾽ οὖν θεοὺς
πάσης ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

ΧΟΡΟΣ.

μήποτ᾽ ἐμὸν κατ᾽ αἰῶνα λίποι θεῶν στρ. β΄.
ἅδε πανήγυρις, μηδ᾽ ἐπίδοιμι τάνδ᾽
ἀστυδρομουμέναν πόλιν καὶ στράτευμ᾽
ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

μή μοι θεοὺς καλοῦσα βουλεύου κακῶς·
πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
μήτηρ Διὸς θέλοντος· ὧδ᾽ ἔχει λόγος.

ΧΟΡΟΣ.

ἔστι· θεοῖς δ᾽ ἔτ᾽ ἰσχὺς καθυπερτέρα· ἀντ. β΄.
πολλάκι δ᾽ ἐν κακοῖσι τὸν ἀμάχανον
κἀκ χαλεπᾶς δύας ὕπερθ᾽ ὀμμάτων
κρημναμενᾶν νεφελᾶν ὀρθοῖ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

ἀνδρῶν τάδ᾽ ἐστί, σφάγια καὶ χρηστήρια
θεοῖσιν ἔρδειν, πολεμίων πειρωμένων·
σὸν δ᾽ αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν εἴσω δόμων.

ΧΟΡΟΣ.

διὰ θεῶν πόλιν νεμόμεθ᾽ ἀδάματον, στρ. γ΄.
δυσμενέων τ᾽ ὄχλον πύργος ἀποστέγει.
τίς τάδε νέμεσις στυγεῖ;

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

οὔτοι φθονῶ σοι δαιμόνων τιμᾶν γένος·
ἀλλ᾽ ὡς πολίτας μὴ κακοσπλάγχνους τιθῇς,
ἔκηλος ἴσθι, μηδ᾽ ἄγαν ὑπερφοβοῦ.

ΧΟΡΟΣ.

διάδρομον κλύουσ᾽ ἀνάμιγα πάταγον ἀντ. γ΄.
ταρβοσύνῳ φόβῳ ἐς ἄκραν σκοπάν,
τίμιον ἕδος, ἱκόμαν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.

μὴ νῦν, ἐὰν θνήσκοντας ἢ τετρωμένους
πύθησθε, κωκυτοῖσιν ἁντιάζετε.
τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται φονεὺς βροτῶν.

ΧΟΡΟΣ.

Καὶ μὴν ἀκούω γ᾽ ἱππικῶν φρυαγμάτων.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
μὴ νῦν ἀκούουϲ' ἐμφανῶϲ ἄκου' ἄγαν.

ΧΟΡΟΣ.
ϲτένω πόλιϲμα δαΐων κυκλουμένων.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
οὐκοῦν ἔμ' ἀρκεῖ τῶνδε βουλεύειν πέρι.

ΧΟΡΟΣ.
δέδοικ', ἀραγμὸϲ δ' ἐν πύλαιϲ ὀφέλλλεται.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
Οὐ ϲῖγα μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖϲ κατὰ πτόλιν;

ΧΟΡΟΣ.
ὦ Ζεῦ τέλειε, μὴ προδῷϲ πυργώματα.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
οὐκ ἐϲ φθόρον ϲιγῶϲ' ἀναϲχήϲει τάδε;

ΧΟΡΟΣ.
θεοὶ πολῖται, μή με δουλείαϲ τυχεῖν.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
αὐτὴ ϲὺ δουλοῖϲ καὶ ϲὲ καὶ πᾶϲαν πόλιν.

ΧΟΡΟΣ.
Ὦ παγκρατὲϲ Ζεῦ, τρέψον εἰϲ ἐχθροὺϲ βέλοϲ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπαϲαϲ γένοϲ.

ΧΟΡΟΣ.
μοχθηρόν, ὥϲπερ ἄνδρεϲ ὧν ἁλῷ πόλιϲ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
πόλιν ϲτένειϲ αὖ θιγγάνουϲ' ἀγαλμάτων;

ΧΟΡΟΣ.
ἀψυχίᾳ γὰρ γλῶϲϲαν ἁρπάζει φόβοϲ.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
Αἰτουμένῳ μοι κοῦφον εἰ δοίηϲ τέλοϲ.

ΧΟΡΟΣ.
λέγοιϲ ἂν ὡϲ τάχιϲτα, καὶ τότ' εἴϲομαι.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
ϲίγηϲον, ὦ τάλαινα, μὴ φίλουϲ φόβει.

ΧΟΡΟΣ.
ϲιγῶ· ϲὺν ἄλλοιϲ πείϲομαι τὸ μόρϲιμον.

ΕΤΕΟΚΛΗΣ.
Τοῦτ' ἀντ' ἐκείνων τοὔποϲ αἱροῦμαι ϲέθεν.
καὶ πρόϲ γε τούτοιϲ, ἐκτὸϲ οὖϲ' ἀγαλμάτων,
εὔχου τὰ κρείϲϲω ξυμμάχουϲ εἶναι θεούϲ.
κἀμῶν ἀκούϲαϲ' εὐγμάτων, ἔπειτα ϲὺ
ὀλολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιάνιϲον,
Ἑλληνικὸν νόμιϲμα θυϲτάδοϲ βοῆϲ,
θάρϲοϲ φίλοιϲ διδοῦϲα, πολεμίοιϲ φόβον.

ἐγὼ δὲ χώραϲ τοῖϲ πολιϲϲούχοιϲ θεοῖϲ,
πεδιονόμοιϲ τε κἀγορᾶϲ ἐπιϲκόποιϲ,
Δίρκηϲ τε πηγαῖϲ, οὔθατ' Ἰϲμηνοῦ λέγω,
εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεωϲ ϲεϲωϲμένηϲ,
μήλοιϲιν αἱμάϲϲων ἄναξ ἐξεύχομαι,
θήϲειν*) τροπαῖα δουρίληφθ' ἁγνοῖϲ δόμοιϲ.

Τοιαῦτ' ἐπεύχου μὴ φιλοϲτόνωϲ θεοῖϲ,
μηδ' ἐν ματαίοιϲ κἀγρίοιϲ ποιφύγμαϲιν·
οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγηϲ τὸ μόρϲιμον.
ἐγὼ δ' ἐπ' ἄνδραϲ ἓξ ἐμοὶ ϲὺν ἑβδόμῳ
ἀντηρέταϲ ἐχθρούϲ τε τὸν μέγαν τρόπον
εἰϲ ἑπτατειχεῖϲ ἐξόδουϲ τάξω μολών,
πρὶν ἀγγέλουϲ ϲπερχνούϲ τε καὶ ταχυρρόθουϲ
λόγουϲ ἱκέϲθαι, καὶ φλέγειν χρείαϲ ὕπο.

Iam vide quantum hic quem proposuimus textus ab eo qui hodie vulgo circumfertur, h. e. a textu vel Hermanni vel Dindorfii vel Weilii distet. huius enim episodii versus numero CV fere XX locis manum nostram experti sunt. sunt autem potissimum hi: 172. 173. 176. 186. 187. 188. 189. 192. 200. 201. 208. 212. 222. 226. 227. 230. 253. 256. 258 sq. et 264. sed hanc emendandi audaciam noli mirari sat modicam nobis videri prae eorum criticorum licentia an temeritate qui ubique *interpolationes lacunas traiectiones* in procinctu habentes maiora et operosiora moliri in Aeschylo haudquaquam verentur. quibus ‚superioris' quam vocant artis criticae remediis alioquin haud spernendis atque adeo nonnumquam prorsus necessariis hoc saltem episodio ne semel quidem locum dari potuisse vidimus. nam quae sane indagavimus *glossemata* quibus praeter ipsos versus Aeschyleos inprimis margines codicis Medicei oppleti sunt, eorum nullum**)

*) Fortasse *θύσειν* ex ingeniosissima Weilii coniectura. de qua quid sentiamus, proxima pagina (21) enucleatius a nobis explicatum.

**) Duo hemistichia illa quae in plerisque codicibus omittuntur, in Mediceo autem in trimetri speciem utcumque concinnata sunt, nemo opinor pro *integro* versu habebit.

integri versus ambitum aequat. sunt vero haec: 258 ἑςτίας θεῶν. 259 ταυροκτονοῦντας θεοῖςιν. 260 πολεμίων δ' ἐςθήματα (iteratum adeo 261) et λάφυρα δαΐων. denique 261 στέψω πρὸ ναῶν. quamquam 260 utrum genuinum sit θήςειν τροπαῖα quod reposuimus an στέψειν λάφυρα, etiamnunc valde dubii haeremus. certe tropaeorum mentionem tamquam cum temporum rationibus parum congruentem vel scholiasta Mediceus fastidire videtur qui 260 haec habet: παρατηρητέον ὅτι οὐδέπω ἦν ἡ τῶν τροπαίων ὀνομαςία κατὰ τὸν Ἐτεοκλέα· ὥςτε ἀνεβίβαςε τὰ κατὰ τὸν χρόνον ὁ Αἰςχύλος. optio sane difficilis — fatemur. quapropter ut omnem scrupulum ex animo evellamus, age locum Aeschyleum iterum inspiciamus num forte in tantis tenebris aliunde lux nova nobis affulgeat. en opportune praesto esse salutis administer idemque sospitator Aeschyli Weilius qui pro θήςειν una literula mutata ingeniosissime coniecit θύςειν iungens θύςειν τροπαῖα i. e. ἐπινίκια sive νικητήρια. hoc igitur verum vel saltem veri valde simile existimamus locumque nostrum (258—261) felicissimae coniecturae Weilianae ope nunc sic instauramus:

μήλοιςιν αἱμάςςων ἄναξ ἐξεύχομαι
θύςειν τροπαῖα δουρίληφθ' ἁγνοῖς δόμοις.

ἁγνοῖς δόμοις iungendum cum verbo θύςειν, τροπαῖα δουρίληφθ' autem dictum est pro simplici τροπαῖα per grandiloquentiam Aeschyleam sive perissologiam tragicam dicere mavis. tantae molis erat duos versiculos Aeschyli librariorum sive incuria sive libidine insigniter depravatos*) pristino suo restituere nitori vel ut paulo modestius loquar, ad probabiliorem sane speciem quandam revocare quae quidem nescio an Aeschyli manu haud omnino indigna sit.

Utut est, graviorum turbarum ad integros versus Aeschyleos pertinentium vestigia in hoc quidem episodio (nisi nos omnia fallunt) nulla comparent: nam nec celebratissimi versus 176 interpolationem eique confinem lacunam (ante versum 177) quam primus Dindorfius certatim assentientibus reliquis criticis veluti Weilio Ritschelio aliisque proposuit, nec ipsius Weilii coniecturam de interpolatione versus 249 nec eam quam Ritschelius integri versus 259 interpolationem itemque unius versus lacunam (post voculam τοιαῦτα 262) suspicatus est, nec denique versus 176 traiectionem commendatam illam a Keckio probare ullo modo potuimus.

Nunc vide quaeso nostrae quantulaecumque artis in instaurando Aeschylo ‚modestam audaciam' quae fere in singulis literis ac syllabis, rarissime in integris vocabulis immutandis commutandis resarciendis emendandis se continere satis habeat. verum tamen ex hoc uno episodio quod peculiares illas quas modo dixi corruptelas nescio quo pacto effugisse videtur, neminem opinor cupidius inconsideratiusve coniecturam facturum de incorrupta quadam textus Aeschylei integritate, tamquam hic scriptor solus omnino liber sit ab eis corruptelarum generibus quae interpolationibus lacunis et traiectionibus continentur: id quod vereor ut umquam probabiliter demonstrari possit.

Restat ut aliorum criticorum coniecturas quas in textum nostrum ‚tacite' recepimus, omnes ordine recenseamus et suum cuique ut par est ἕρμαιον reddamus. sunt vero tum praeter Hermannianas coniecturas haud sane multas quas cap. I commemoravimus, tum praeter alias recentissimorum criticorum coniecturas per variam adnotationum nostrarum opportunitatem cap. II recensitas potissimum hae:

194. Weilius novissime l. c. propter numerorum concinnitatem scite ut assolet coniecit: θεοῖς πίςυνος, ὁ δὲ νιφάδος | ὅτ' ὀλοᾶς νιφόμενος βρόμος ἐν πύλαις κτλ. libri omnes omittunt ὁ δέ et pro νιφόμενος habent νιφομένας.

*) En indicium critici Angli Paleii de his versibus l. c. p. 269: ‚it is clear that the passage has been tampered with, and probably in ancient times; but there are so many ways of altering it that none can be trusted'.

217. idem Weilius δυςμενέων τ' pro librorum scriptura δυςμενέων δ'. ubi supplendum ex eo qui praecedit versu διὰ θεῶν. ‚non enim (ut Hermannus putabat) et dis et munimentis salutem urbis deberi, sed omnem salutem a dis pendere affirmant. (Weilius)'.

223. Ritschelius rectissime ex obscurata librorum quorundam (G. Mosc. 2) scriptura eruisse videtur ἐς ἄκραν σκοπάν pro vulgata scriptura ἐς ἀκρόπολιν propter metrum a Porsono mutata in ἀκρόπτολιν.

234. Meinekius Philol. vol. XX p. 56 ingeniosissime coniecit ὦ Ζεῦ τέλειε pro vulgata librorum scriptura ὦ ξυντέλεια frustra reclamante et reluctante Dindorfio. qui enim quaeso vox ξυντέλεια quae vulgari significatu est collatio vel consortio vel quaevis communitas et societas, hic locum habere potest plane omissa qua aegre caremus deorum notione? quod autem Juppiter iterum paulo post 238 invocatur, eo non modo non infringitur coniecturae Meinekianae probabilitas, sed etiam siquid sapimus, valde augetur, quum chorus iterum atque iterum deorum omnium ac potissimum Iovis auxilium imploret.

244. ex eiusdem Meinekii coniectura l. c. p. 54 τότ' pro τάχ', ubi apte Soph. O. R. 1517 λέξεις καὶ τότ' εἴσομαι κλύων comparat.

241. denique commemoranda est palmaris sane Pauwii emendatio ab omnibus criticis immerito neglecta — nempe πόλιν στένεις pro vulgata scriptura quae in omnibus libris ms. editionibusque circumfertur παλινστομεῖς. etenim παλινστομεῖς si quidem graecum est, non potest significare δυςφημεῖς quod scholiasta Mediceus voluit, sed potius παλιλλογεῖς h. e. iterum dicis. quod quidem misere languere atque adeo cum proximo versu (242): ἀψυχίᾳ γὰρ γλῶσσαν ἁρπάζει φόβος, quo chorus ipse coram obiurgante Eteocle timiditatem et ignaviam suam, non hercle contumaciam aut reclamandi libidinem fatetur, vehementer pugnare vix est quod moneamus. accedit quod Eteocles ad ea quae altercans chorus ipsi tamquam opprobrio vertit his verbis: ὦν ἀλῷ πόλις, nihil omnino respondet, id quod prorsus abhorret a stichomythiae Aeschyleae concinnitate et elegantia. atque hoc unum argumentum satis idoneum esse arbitror quo non παλινστομεῖς (cod. Lips. et Ald. praebent πάλιν στομεῖς), sed cum Pauwio πόλιν στένεις scripsisse Aeschylum clarissima in luce ponatur, plane ut 230 στένω πόλισμα. —

Cap. V.

Appendicula de codicis Medicei scholiorumque Mediceorum fide.

Codicis Medicei fides quam sit incerta, allatis virorum doctorum testimoniis supra prooemio nostro generatim breviterque expositum est. atque hoc ipsum nunc explicatius singulis locis pertractati modo episodii demonstrare licebit. quodsi propria et peculiaris cuiusvis codicis bonitas aut pravitas maxime cernitur eis quae in eo solo vel omittuntur vel adduntur praeter reliquos codices, quid quaeso magis labefactare et infringere fidem codicis Medicei potest quam duo versus illi 176 et 261? quorum quidem unus (176) quem genuinum esse supra apparuit, in solo codice Mediceo deest, alter vero versus (261) manifesto interpolatus vel potius ut ante diximus ex diversissimis glossematis conflatus eidem codici Mediceo cum nullo alio codice nisi cum quantivis pretii Par. B communis est: nam in Par. A et in Lips. priora tantum tria vocabula στέψω πρὸ ναῶν inveniri suo loco iam dictum est. eodem spectant 200 etiam notae chori in principio

versus, in medio versu Eteoclis in solo Mediceo a recentiore quidem manu prorsus inutiliter et praeter rationem adiectae. nunc mihi compara quaeso reliquas scripturarum discrepantias quo magis conspicuae fiant mutuae rationes quae inter Mediceum aliosque codices intercedunt. en habes potiores locos quibus alii codices praeter Mediceum veram scripturam vel aperte testantur vel saltem verae scripturae vestigia quaedam quamvis tenuia produnt: 196 M. γένει, alii cod. φίλῳ vel φύλῳ, unde verissime Hermannus φυτῷ. cf. Eurip. Med. 281 γυναῖκές ἐcμεν ἀθλιώτατον φυτόν, ne plura exempla futtiliter cumulemus. 172 M. φυγάς, alii βοάς. 174 M. ὀφέλλεται, alii ὀφέλλετε. 185 M. ὄτοβον ὅτι, alii ὄτοβον, ὄτοβον ὅτε. quae vocis repetitio tum propter metrum tum propter eundem concinnum parilium vocularum lusum in antistropha 194 νιφάδος — νιφόμενος quem tragicos amare constat, prorsus necessaria est. 192 M. ἐν, alii πρός. 210 M. τάν, alii τόν. 222 M. ἄμμιγα, Aug. ἀνάμιγα. 223 M. τάνδ' ἐc ἀκρόπολιν, G. ἐc σκοπᾶν, Mosc. 2 ἐc σκοπίαν. 230 M. γῆθεν, alii (Ven. B, Turn. et adscriptum in Par. B) δῆθεν. 237 M. κἀμὲ καὶ πᾶσαν πτόλιν, alii κἀμὲ καὶ cὲ καὶ πόλιν. 240 M. ἄνδρας, alii ἄνδρες. denique de 258–261, inprimis de 261 vide quae suo loco diximus. omisimus autem hic leviusculas quasdam codicis Medicei discrepantias quae tum ad literarum rasuras liturasve omnemque quattuor manuum diversitatem tum ad accentum spiritumve et reliquos apices omnes spectant. quo quidem in genere item multifariam a librariis in scribendo codice Mediceo peccatum esse scimus vides tot locis huius episodii deteriores qui vulgo perhibeantur codices Aeschyleos haud mediocriter Mediceo praestare, contra ipsum Mediceum ne uno quidem ex locis corruptis quicquam remedii ad recuperandam Aeschyli manum nobis suppeditare, ut intellectu sane difficile sit quomodo istiusmodi codex vulgaris unusque e multis inter omnes codices Aeschyleos tamquam principatum obtinuerit et adeo pro ipso fonte et archetypo omnium apographorum etiamnunc a quoquam haberi possit.

Quaeritur denique quatenus scholiasta Mediceus in perpoliendo episodio nos adiuverit, ut quanta fides ei sit habenda, ex hoc scilicet episodio coniecturam probabilem facere nobis liceat. ac mirabuntur fortasse qui omnem instaurandi Aeschyli spem ponere in scholiis solent, ter quaterve tantum honorificam scholiastae mentionem a nobis factam esse, ut 208 loco sane memorabili, ubi praeclarum Διόc illud feliciter e scholio Mediceo eruisse et probabiliter restituisse poetae nostro videmur, tum 230 et 260, quibus locis idem scholiasta nobis adminiculo fuit si minus ad inveniendam, at certe ad confirmandam veram scripturam.

Omnino ut illuc redeat unde exorsa est disputatio nostra, omnem criticam Aeschyli supellectilem valde mancam atque dubiam esse et ut plane dicam quod sentio, tam Mediceum codicem eiusque scholia quam reliquos omnes quotquot exstant codices temporis iniquitate communem labem eamque aliquanto graviorem quam vulgo creditur iam pridem traxisse existimo. tot vero locos Aeschyleos saeculorum decursu vel inscitia vel neglegentia vel etiam fraude librariorum manifesto depravatos ac desperatos qui tandem quaeso hodie ad saniorem probabilioremque speciem revocabimus? ne multa — nisi omnino desperare de instaurando Aeschylo volumus, rationem illam ‚centum codicibus potiorem' etiam ad crisin Aeschyleam constanter et strenue adhiberi necesse est, ut ea potissimum duce primum quid sit Aeschyleum vel certe Aeschylo dignum, quid non, quam accuratissime internoscamus et exploremus, deinde vero quid tandem a poeta locis corruptis antiquitus scriptum fuisse verisimile sit, probabili saltem coniectura et divinando assequamur — donec aliquando vetustissimus ille codex archetypus etiamnunc alicubi delitescens (utinam verus rumor sit!) ex latebris suis in lucem protractus omnem criticorum Aeschyleorum emendandi operam si non omnino supervacaneam, at faciliorem commodioremque reddat. —

Epitome huius disputationis.

Restat ut summam sive epitomen disputationis nostrae nunc brevi in conspectu ponamus. est vero haec:

I. Prooemio agitur de recte aestimandis subsidiis criticis emendationis Aeschyleae h. e. de codice Mediceo, tum de scholiis Mediceis, denique de compositione antithetica.

II. Capite primo proponitur primi episodii quod est in Aeschyli Septem adversus Thebas recensio qualem Godofredi Hermanni editio exhibet.

III. Capite secundo ostenditur quid reliquum factum sit in emendando episodio post Godofredi Hermanni recentissimorumque criticorum veluti Dindorfii Weilii Keckii Ritschelii Paleii aliorum curas Aeschyleas ac proponuntur novae emendationes versuum XX et quod superest.

IV. Capite tertio agitur de compositione episodii antithetica novaque versuum discriptio a formula Weilii Keckiique discrepans commendatur.

V. Capite quarto proponitur textus novae episodii recensionis. accedunt aliorum criticorum emendationes ‚tacite' a nobis in textum receptae.

VI. Capite quinto seorsum agitur de codicis Medicei scholiorumque Mediceorum fide et usu quatenus ad emendandum episodium spectat. —

Addenda et corrigenda.

pag. 5 v. 19	pro Aristarchi discipulus lege disciplinae Aristarcheae quasi alumnus eiusdemque propagator.
ibidem v. 34	post puto pone comma.
pag. 8 v. 215	pro 115 pone 215.
pag. 15	commemoranda certe erat Weilii coniectura v. 256 pro *Δίρκης τε πηγαῖς* proponentis *ναρᾶς τε Δίρκης* indagatum illud ex Photio qui hanc glossam habet: *ναρᾶς τε Δίρκης, ῥευστικῆς. Αἰσχύλος.* (frag. 409 H).
pag. 18 v. 16	ante verbum usurpari inserenda vocula hic.
ibidem v. 37	pro recensonemi lege recensionem.

Schulnachrichten.

Erster Abschnitt.

Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Weierstraß.

Deutsch. Uebersicht der neueren National-Litteratur mit Proben aus Deycks. Lectüre: Goethe's Iphigenie auf Tauris, Klopstock's ausgewählte Oden und Shakespeare's Julius Cäsar. Außerdem Leitung der Privatlectüre. Grundlehren der Psychologie. Dispositions-Uebungen. Freie Vorträge. Monatliche Aufsätze Klassenarbeiten. 3 St. Herr Gymnasiallehrer Loens.

Latein. Cic. de off. I. In Caecilium Div., Verr. II actio V. Repetitionen aus der Grammatik. 14-tägige Exercitien nach Süpfle, 14-tägige Probearbeiten, monatliche Aufsätze, Uebungen im Lateinsprechen. Leitung der Privatlectüre. Freie Vorträge. 5 St. Der Ordinarius. Horat. carm. lib. III. und IV., Carm. saecul. Ausgewählte Satiren. Wiederholung von lib. I. und II. der Oden und ausgewählter Epoden nebst metrischen Uebungen. 2 St. Der Director. Cursorische Lectüre: Tacit. dial. de orat., hist. lib. I. und Horat. ausgewählte Episteln. 1. St. Derselbe.

Griechisch. Plat. Crito und Apolog. Thucyd. lib. VI. und ausgewählte Stellen aus lib. I. Erklärung und Uebersetzung zum Theil lateinisch. Grammatische Repetitionen nach Buttmann. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Extemporalien und Klassenarbeiten. 4 St. Der Director. Hom. Iliad. lib. XVI—XXII. Privatlectüre Ilias lib. VII—XII und XV. Extemporiren ungelesener Stellen. Nach Ostern Sophocles Electra. 2 St. Der Ordinarius.

Französisch. Dumas: histoire de Napoléon und Racine: Iphigénie. 14-tägige Exercitien und Extemporalien. Monatliche Klassenarbeiten. Repetition der Grammatik nach Knebel. Sprechübungen. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Dr. Bludau.

Hebräisch. Wiederholung der Formenlehre nach Vosen, die unregelmäßigen Verba und die wichtigsten Regeln aus der Syntax. Uebersetzt und erklärt wurden mehrere Psalmen und einige Kapitel aus Jeremias. Schriftliche Uebungen. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

[illegible]